


5. M. 766/74
SM
C^a8
310
201

Magonis, ejusque Portus Encomium

R.: 13.161



INSIGNIS Portus sic dictus ubique Magonis,
Nomen et à Pœno traxisse Magone videtur.
Est statio Nautis sedes gratissima quaedam,
Cui Balearis iter foelix minor Insula praebet.
Euronoto facies patefit, flexoque recessu
Porrigitur longé circa duo millia: naves
Hic tutae; nec enim Boreas, rapidusve nec Eurus,
Neve cient ulli luctantes vortice venti.
Vix spumis unda albescit; vix murmure ripa
Stridet: nam lymphas scopuli, montesque tuentur.
Quin etiam, et visu praeclaræ, et rite salutis
Sacratae surgunt aedes, quibus Insula sedem
Praebet securam, externa è Regione reversis,
Ne feбри prorsus foedent, aut peste colónos.
Aegris hospitium solerter et altera praestat
Militibus, Regis sumptu, Nautisque medendis.
Postea contiguâ ripae memorabile sede
Exercetur opus, firmo quo robore naves
Arteque conduntur mirâ, pelagoque volantes.
Magna etiam expensis armamentaria Regis
Sunt erecta, Fabrís ut quod labor exigit, adit.

Nobilis è contrá patet Urbs decorata superbis
Tectis, et magnâ confectum fortiter arte
Praeruptis haerens scopulis iter; hortus et infra,
Exiguus spatio variis sed floribus uber,
Umbriferae quem ornant ulmi, morisque ferâces
Scamna sub arboribus, dulcique perenniter unda
Vena fluens, Populo stans exhaustibilis omni.
Dirigit hinc gressus sibi, qui pulcherrima quaerit
Extensam ad ripam, ripam satis arte nitentem,
Quae multo, placidam visu, partamque labore,
Et sedem, laetumque locum spatiantibus offert.
Nam variis puppes formis, atque arte micantes
Conspiciuntur, eò dilabi, hinc surgere multas,
Imponique aliis, aliisque gravamina demi.
Tum condi, refici, pingi, tum ligna parari.
Atque cadens ubi sol gratis aestate sub umbris
Terram dimittit, leviterque superfluit aura,
Composito clari gradiuntur littora passu
Cives, et Pueri Patrem, Matremque Puellae
Sectantur; placido pubes incedere gestu
Cernitur, et longé jucundus ita aethera murmur
His, aliisque simul, toto celebrantur in Orbe
Portus hic, et foelix Urbs tam praeclara Magonis,
Sed quis carminibus complecti tanta valebit?
MAGONE MDCCXCII.



1057075
SM C^a8 310